Kauai; Wälder der Niederungen, an schattigen, humusreichen Stellen in kleinen Gruppen vorkommend: no. 2061!

Selaginelleae.

Selaginella Spring.

Selaginella deflexa Brack. U. S. Expl. Exped. XVI. 332, tab. 45, fig. 3. t. specim. origin.

Kauai; Waialeale, im Grase bei 5000′ Meereshöhe: no. 2197!

Selaginella lepidophylla Spring, Monogr. d. Lycopod. II. 72.

Oahu; Honolulu: no. 2517!

Wawra's Pflanze stimmt mit mexicanischen Exemplaren meiner Sammlung vollständig überein. Meines Wissens war diese schöne Art bisher von den Sandwichinseln unbekannt.

Selaginella arbuscula Spring, Monogr. II. 183.

Oahu: Kohanuhanui, 5000′ ü. M.: no. 1722!

Selaginella Menziesii Spring, Monogr. II. 185.

Maui; Wailukuthal: no 1829! Kleine Exemplare.

Selaginella Springii Gaud. Voy. de la Bonite tab. 12. Spring, Monogr. II. 184.

Oahu; Calichi, in Schluchten: no. 1795!

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio tertia et vicesima. — Exponit W. Nylander.

1. *Pyrenopsis concordatula* Nyl.

Thallus obscure fuliginascens, scabrido-opacus, tenuis, demum areolatus, rugulosus; apothecia subconcoloria innata punctiformia, demum sublecanoroidea (latit. 0,2—0,3 millim.), a thallo marginatula; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,012—18 millim., crassit. 0,006—0,010 millim., paraphyses vix ullae. Jodo gelatina hymenialis dilute coerulescens, dein saltem sporae nonnihil vinose fulvescentes.

Supra lapides riparios in Finlandia, Korpilahti (Lang).

Species bona, jam sporis majoribus differens a *P. subareolata* et *P. subfuliginea* comparandis. Thecae oblongae.

2. *Lichina transfuga* Nyl.

Subsimilis *Lichinae confini*, sed magis stipata, thallo subconcrescente.

In Gallia occidentali super saxa calcarea maritima, vix vero unquam a fluctibus inundata, prope Marennes (J. Richard).

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03641-0442-8

Species videtur distincta. Caespituli thalli parum 1 millimetrum altitudine excedentes, gonidiis majoribus (glauco-coerulescentibus, diam. transversali 0,007—0,013 millim; in *L. confini* coerulescentibus, diam. eodem 0,005—6 millim.). Apothecia conferta fastigiata; sporae longit. 0,020—23, crassit. 0,012—16 millim. Spermatia longit. 0,003 millim., crassit. 0,001 millim.

3. *Calicium elassosporum* Nyl.

Subsimile *Calicio brunneolo* robustiori, sed sporis et gonidiis minoribus.

Apud Glen Lochny in Scotia, super lignum alni putrescens (Crombie).

Thallus glaucescens vel glauco-virescens; gonidia in syngonidiis difformibus conglomerata (singula diam. circiter 0,006—8 millim.). Sporae globulosae, diam. 0,0025 millim. vel minora.

4. *Cladonia pycnotheliza* Nyl.

Quasi *Cl. caespititia* effusa subdispersa, podetiis plus minusve evolutis, saepe fere sicut in *Pycnothelia*, apotheciis fuscis aggregatis convexis (podetiis frequenter e squamulis thalli enatis, parvis, pallidis, nudis); sporae minutae, longit. 0,007—9 millim., crassit. 0,0020—0,0025 millim.

Supra truncos putridos in Finlandia, Tavastia (Lang).

Minutie jam sporarum et figura podetiorum difformi a ceteris dignoscenda. Podetia saepius altitudine solum 2—8 millim. alibi haec longiuscula et accedit tunc ad *frondosam* Del.

5. *Ramalina Curnowii* Cromb.

Thallus glaucescenti-pallidus gracilentus fruticulosus, teretiusculus aut compressiusculus (altit. circiter 8 centimetrorum, latit. circiter 0,5 millimetri, sed laciniis latioribus planioribusque usque latit. 1 millimetri), parum ramosus (inde parum implexus), subrigescens; apothecia pallida convexa (latit. ferè 2 millim.), geniculato-adnata; sporae ellipsoideae rectae, longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,004—6 millim.

Super scopulos prope Penzance in Angliae Cornwall (W. Curnow).

Eximia. Fortasse proxima *Ramalinae cuspidatae*, at ex spermogoniis esset stirpis *R. carpathicae*. Thallus K extus flavescens; basis nigricans. Spermogonia extus nigra (spermatiis longit. 0,003 millim., crassit. 0,001 millim.), qua nota facile distincta est haec species inter comparandas, qualis est *R. implectens*.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03641-0443-4

6. *Physcia endochrysoides* Nyl.

Facie *Physciae obscurae* thallo cinereo (sorediis glaucescentibus vel alibi obscure caesiis, passim convexis confertis munito), intus flavo et supra K + (flavo-virescente). Apothecia et spermogonia non visa.

Supra saxa micaceo-schistosa muscosa infra alpem Retyezát in Transsylvania (Lojka).

Affinis videtur *Ph. caesiae*. Apices laciniarum interdum supra parce pruina alba subfurfurosa inspersi. Comparari possit cum *Ph. endochrysea* (Hmp.), quae minime similis est *Physciae endococcinae* (Krb.). *Ph. enteroxantha* Nyl. *Obs. Pyr. or.* p. 50 omnino differt thallo fere toto dense albo-inspersо et K — potiusque sit stirpis *Ph. obscurae* quam *Ph. pulverulentae*.

7. *Physcia endochroidea* Nyl.

Forsan non vere specie distat a *Ph. ulotriche*, *sciastrae* subsimilis, thallo nigricante adnato, tenuiter laciniato, laciniis latit. 0,2—0,4 millim., intus pro magna parte ochraceo-fulvescente vel variante ochraceo-cinnabarino. Apothecia nigra lecanoroideo-parmelina (latit. 0,5—0,8 millim.), receptaculo subtus fibrillis rhizinodeis nigris brevibus parum distincte munito; sporae longit. 0,014—18 millim., crassit. 0,006—8 millim.

Supra saxa in Finlandia, Korpilahti (Lang).

8. *Lecanora jejuna* Nyl.

Thallus cinerascens vel chalybeo-cinerascens, tenuis, sublaevigatus, demum rimosus, hypothallo nigro passim visibili; apothecia testaceo-rufescentia (latit. 0,5 millim. vel minora) supra thallum prominula, margine thallino tenui demum excluso; sporae 8nae incolores ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,018—23 millim., crassit. 0,007—9 millim., paraphyses gracilescentes, epithecium lutescens. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein violascens.

Supra saxa silicea in insula Caesarea, Boulay Bay (Larbalestier).

Species notabilis, licet facie externa parum insignis, thalli aspectu quasi accedens ad *Lecanoram gibbosam* vel *laevatam*, apotheciis ad *Lecideam coarctatam*; revera autem sit stirpis *Lecanorae disparatae*, nam spermogonia gaudent arthrosterigmatibus breviarticulatis. Spermatia ellipsoideo-oblonga, longit. 0,002 millim., crassit. vix 0,001 adtingentia.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03641-0444-9

9. *Lecánora gyrodes* Nyl.

Thallus obscure cervino-cinerascens vel fusco-cinerascens, sat tenuis, areolato-rimosus; apothecia nigra in areolis prominulis innata, demum 2—6 in vertice cujusvis areolae fertilis subgyrose conferta (latit. 0,2—0,5 millim., saepe pressione deformata), lecideoidea, nigro-marginata; sporae 6—8nae ellipsoideae, longit. 0,027—32 millim., crassit. 0,014—23 millim., epithecium et perithecium olivascenti-obscurata. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Supra lapidem riparium in Finlandia, Korpilahti (Lang), socia *Lecanorae luscae* optimae.

Species affinis *Lecanorae subdepressae*, facile distincta apotheciis peculiaribus, sporis majoribus. Spermatia recta, longit. 0,009—0,012 millim., crassit. vix 0,0008 millim.

10. *Lecanora exspersa* Nyl.

Thallus albidus tenuis opacus variolarioidee efflorescens; apothecia pallida aut livido-obscurata, lecanorina, margine thallino evanescente cincta, aut subbiatorina (latit. 0,5—0,7 millim.), leviter pruinosa aut nuda; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,007—9 millim., crassit. 0,004—5 millim., epithecium luteorufescenti-inspersum, paraphyses fere mediocres. Jodo gelatina hymenialis vinose fulvescens vel vinose rubescens.

Supra corticem et lignum abietis infra alpem Retyezát in Transsylvania (Lojka).

Species e stirpe *Lecanorae subfuscae* notis allatis bene distincta (thallo, sporis minutis, etc.). Thallus K flavens, efflorescentiis variolarioideis albis rotundatis frequentibus conspersus. Apothecia sparsa, juniora marginata, vetustiora irregularia.

11. *Lecanora polytropella* Nyl.

Thallus albido-flavescens tenuis subgranulatus aut evanescens; apothecia concoloria (latit. 0,5 millim. vel minora) plana, margine thallode integro vel interdum obsolete subcrenulato; sporae ellipsoideae, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses gracilescentes superne obsolete inspersae. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein subincolor et thecae violaceo-fulvescentes.

In Finlandia, ad Jyväskylä, supra saxa gneissacea (Lang), socia *Lecideae atroalbicantis*.

Est quasi *Lecanora polytropa* minor, differens simul paraphysibus gracilioribus, sporis minoribus et reactione iodo effecta

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03641-0445-5

(in *L. polytropa* coerulescens, dein incolor et thecae coerulescentia persistente). Facies externa potius *Lecanorae piniperdae.*

12. *Lecanora detractula* Nyl.

Subsimilis *Lecanorae albariellae* Nyl.[1]), sed ecrustacea apotheciis biatorinis nigricantibus (in humido statu fuscis) minoribus (latit. 0,2—0,3 millim.), diffuse sparsis.

Supra lapides calcareos dispersos in arena littoris marini prope Marennes in Gallia (Richard).

Verisimiliter potissime hic locum habens (nec inter Biatoras), nam partibus internis convenit. Sporae tenuiter 1-septatae, longit. 0,010—14 millim., crassit. 0,004—5 millim. Spermatia arcuata longit. 0,012—15 millim., crassit. 0,0005—0,0006 millim. Forsitan subspecies *L. albariellae.*

13. *Gyalecta chlorobaea* Nyl.

Thallus subobscure virens vel subolivaceo-virens, tenuis, inaequaliter laevigatus; apothecia badio-fuscescentia superficialia, epithecio concaviusculo, marginata (latit. 0,3—0,5 millim.), margine juniorum pallido; sporae 8nae breviter ellipsoideae, irregulariter 3-septatae et varie aliter (oblique) parce divisae, longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,007—9 millim., epithecium (lamina tenui visum) fusconigrum, paraphyses mediocres vel subcrassiusculae, hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis subrubescens.

Super latus saxi micaceo-schistosi in Finlandia, Korpilahti (Lang).

Species omnino distincta, comparanda cum *G. hyalina* Hepp, sed haec thallo alio, apotheciis minus concinnis, paraphysibus gracilibus, sporis majoribus, etc. Thallus gonidiis chroolepoideis farctus; atque observetur, ex eodem hinc inde enasci acervulum tomentosulum *Trentepohliae*, quae autem filamentis confervoideo-continuis et plane aliis differt a typo gonidiorum. Gonidia vero in hypothecium et usque in marginem apotheciorum intruduntur.

14. *Lecidea discretula* Nyl.

Simillima *Lecideae denigratae* et praecipue dignota paraphysibus bene discretis.

Supra Daedaleam (quercicolam) in Hungaria (Lojka).

Jodo gelatina hymenialis non tincta et thecae solae (arthoniomorphae) coerulescentes, dein violaceo-obscuratae.

---

1) Arn. Exs. 596 (*albaria* Nyl.) non huc pertinet. Sporas habet 3—septatas, etc.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03641-0446-1

15. *Lecidea sororians* Nyl.

Thallus cinerascens vel cinereo-virescens, tenuis, granulosus vel granuloso-crustosus, parcus, dispersus; apothecia nigra adnata convexula immarginata, intus obscure albida, parvula (latit. circiter 0,2 millim.) vel majora saepius aggregatione conflata; sporae bacillares subrectae 3-septatae, longit. 0,015—25 millim., crassit. 0,0020—0,0025 millim., epithecium luteo-fuscum vel lutescenti-subnigrescens (subgranulosum, K—), paraphyses non bene distinctae(gracilescentes),hypothecium cum thalamio lutescenti-incolor. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein luteo-violascens (tum thecae praesertim tinctae).

Inter *Sirosiphonem saxicolam* et socia *Lecideae torvulae* in Finlandia, Korpilahti (Lang).

Facie omnino *Lecideae fraterculantis* quae analysi mox differt epithecio coerulescente, sporis crassioribus, etc. *L. sororians* pertineat ad stirpem *Lecideae palidnae*, *L. fraterculans* ad stirpem *Lecideae milliariae*. Gonidia parva, diam. 0,004—7 millim.

16. *Lecideae subrimulosa* Nyl.

Thallus caesio-albidus glomeruloso-crustaceus (crassit. circiter 1 millim.), superficie tenuissime subrimulosus; apothecia nigra convexiuscula immarginata (latit. 1 millim. vel minora), saepe aggregata, intus albida; sporae 8nae incolores oviformes 1-septatae, longit. 0,010—12 millim., crassit. 0,003—4 millim., epithecium nigricans(coerulescenti-nigricans),paraphyses crassulae apice clavato (coerulescenti-nigricante), hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose rubescens (thecis praesertim sic tinctis.).

Supra saxa in Dovre, Kongsvold (Zetterstedt).

17. *Lecidea ochrotropa* Nyl.

Thallus pallido-ochraceus, sat tenuis vel fere mediocris, areolato-rimosus saepe subdispersus; apothecia nigra plana (latit. 0,6—0,7 millim.), margine turgidulo leviter ochroideo-suffuso vel etiam epithecio variante ita suffusulo, intus obscura; sporae 4—8nae incolores ellipsoideae submurali-divisae, longit. 0,032—40millim. crassit. 0,011—14 millim., paraphyses gracilescentes (saepe non distinctae), epithecium sordide coerulescens, hypothecium satis tenuiter (infra) fuscescens. Jodo gelatina hymenialis intensive coerulescens.

Supra saxa granitica in Finlandia, ad Jyväskylä (Lang). Similis in Madera (Mandon).

Forsan sub *Lecidea excentrica* jungenda sit.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03641-0447-7

18. *Lecidea Richardi* Lamy.

Thallus cinereus areolato-diffractus, areolis planiusculis, hypothallo nigro passim visibili; apothecia non prominula, plana (latit. 0,5—0,7 millim.) subangulosa, margine tenui; sporae nigricantes 1-septatae, longit. 0,023—33 millim., crassit. 0,012—16 millim., paraphyses molles gracilescentes apice subincrassato nigricante (inde epithecium nigricans).

Supra saxa silicea in Gallia media et occidentali (Richard et Lamy).

Thallus, I ∓, quo jam differt a *L. colludente*.

19. *Lecidea nugaria* Nyl.

Thallus umbrino-nigricans tenuis subfurfurellus (forsan non proprius); apothecia nigra minuta plana marginata (latit. 0,3 millim.; vel minora), intus concoloria; sporae 8nae breviter ellipsoideae, longit. 0,006—7 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim., epithecium coeruleo-nigricans, paraphyses discretae molles fere crassiusculae (apice incrassato coerulescenti-nigricante), hypothecium nigrum supra coerulescens. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, coerulescentia praesertim thecarum persistente.

Supra saxa lacustria in Finlandia, Korpilahti (Lang).

Affinis omnino et apotheciis fere congruens cum *L. chalybeiode* (cfr. Flora 1875, p. 12.), sed thalamium incolor infraque solum coerulescens (in *L. chalybeiode* contra infra rufescens et supra coerulescens).

20. *Lecidea Lamyi* Rieb.

Affinis *Lecideae parasiticae*, sed minor, apotheciis planis marginatulis (latit. circiter 0,2 millim.), sporis majoribus (longit. 0,015—23 millim., crassit. 0,006—7 millim.), etc.

Supra thallum *Lecanorae Parisiensis* fraxinicolae ad Marennes (Richard).

Species bene distincta a cl. J. Richard. Thecae pyriformes (sporis farctae) sursum crassit. circiter 0,018 millim. Paraphyses crassiusculae saepius articulatae, apice sensim incrassato (crassit. 0,0035—0,0045 millim.) infuscato. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde thecae amoene fulvo-rubescentes.

21. *Opegrapha arceuseda* Nyl.

Thallus vix ullus vel obsoletissime externe visibilis; apothecia nigra linearia, subgyrose conglomerata in acervulis difformibus (latit. circiter 1 millim.) pulvinatis, epithecio angustato; sporae incolores fusiformes 3—3-septatae, longit. 0,014—16 millim., cras-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03641-0448-2

sit. 0,004 millim., hypothecium nigrum. Jodo gelatina hymenialis vinose rubescens.

Supra arenam subtilem in insula Caesarea, St. John's (Larbalestier).

Spermogonia in glomerulis nigris minoribus congesta; spermatia recta, longit. 0,0035—0,0045 millim., crassit. 0,0010 millim.

22. *Verrucaria coniodes* Nyl.

Apothecia (parasitica) pyrenio integre nigro minimo (latit. 10,05 millim.); sporae 8nae (in thecis subarthoniomorphis) incolores oviformes 1-septatae, longit 0,010—11 millim., crassit. 0,0035 millim., paraphyses nullae.

Super thallum *Baeomycetis carnei* in Korpilahti (Lang).

Inter minimos Lichenes cognitos, quasi pulverem nigrum non confertum fingens apotheciis nonnihil prominulis (statu humido interdum diam. 0,07 millim. adtingentibus). E stirpe est *Verrucariae epidermidis.*

Observationes.

Cladonia Lamarkii (Del.) est ea quae sicut *Cl. pityrea* var. *acuminata* datur in Coem. *Clad. Belg.* nis. 91 et 93. Vera *acuminata* Ach., rite a cl. Norrlin agnita ut species propria (thallo bene K +), datur in Norrl. *Herb. Lich. Fenniae* no. 57; comparabilis *Cl. decorticata* Flk., Coem. l. c. no. 104 (nomine erroneo „pityrea") jam distat thallo K—, praeter alios characteres. — *Cl. Lamarkii* distinguitur thallo K leviter vel vix lutescente et deicito in dilute ochraceum vertente atque scyphis non perviis. *C. Isignyi* Del. ejusdem sit forma foliolifera, et specimina spermogonifer dantur (sub nomine „furcata") in Coem. *Clad. Belg.* nis. 173 B et 175 sistuntque *C. scabriusculam* Del., quod nomen forsan praeferendum esset nomini *Cl. Lamarkii*; nisi statum recedentem macriorem spermogonicum modo respiceret. Huic (*scabriusculae)* analoga, sed K —, est *Cl. furcata* var. *adspersa* Flk. *D. L.* n. 198, cujus typus perfectus et fertilis est *C. speciosa* Del. (nec vere differt *C. fascicularis* Del). Haec *speciosa* Del. subspeciem exhibet *Cladoniae squamosae*, nisi propriam speciem distinguendam. *Cl. acuminata* specie non differat a *Lamarkii.*

Cladonia Brebissonii (Del.) verisimiliter quoque propria est species, nam constantem locis inter se distantibus videmus.

Cladonia macrophyllodes Nyl. Thallus basi macrophyllus, laciniis lobiformibus glaucis firmis, epithallo subtiliter areolatim

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03641-0449-1

insculpto; podetia scyphosa granulato-corticata (e laciniis enata). Affinis *Cladoniae soboliferae*, sed forte propria species, multo insignior. In alpibus Tyroliae (Arnold) et Transsylvaniae (Lojka).

Parmelia saccatiloba Tayl. etiam in Europa adest, saltem ad Corunam in Hispania rupicola lecta a cl. Lange jam 1852. Spermatia habet sublageniformia ut sunt in *P. martinicana* et *P. javanica*. Pulcherrimam *P. saccatilobam* legit ad Mexico Bourgeau. Non confundatur cum *P. latissima* Fée, Del., cui synonyma est P. glaberrima Kphb.

Parmelia glabra var. *sorediomanes*, in Hungaria populicola (Lojka), forsan subspecies quidem vel propria species, sed sterilis modo hucusque visa. Differt thallo magis opaco et sorediis olivaceo-cinerascentibus pro maxima parte tecto.

Gyrophora crustulosa Ach. var. *eximia* dicenda quae datur in coll. Loyka no 3109, e cacumine alpis Pareng (altit. 2381 metr.) in Transsylvania, thallo albo, subtus albido rhizinis concoloribus vel albido-cinerascentibus. *G. crustulosa* optima datur in Mand. Lich. Mader. no. 21.

In Norrl. *Herb. Lich. Fenn.* no 171 datur nomine *subrufella* forma *Lecideae symmictizae*, thallo albido tenuissimo farinosulo, apotheciis rufis minus convexis. Facile pro varietate sumatur *L. obscurellae* (*heterellae*), sed differt apotheciis sublecanorinis (gonidiis in hypothecio ad perithecium adscendentibus), sporis saepius 1-septatis et longioribus (longit. 0,008—0,014millim., crassit. 0,003—4 millim.). *L. rufella* Nyl. est species propria, vicinior *L. Caduhriae*, quam *obscurellae*.

Lecidea homalodes Nyl. Est species in America boreali, Nova Anglia (Tuckerman) occurens, facie *L. polycarpae*, sed thallo I +, K —, et sporis ut in *L. plana* Lahm. (longit. 0,007—0,011 mill., crassit0,003—4millim.), epithecio coeruleo-nigricante, hypothecio fere incolore. Spermatia recta, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,0007 millim. *L. subplana* Nyl. antarctica sporas habet crassiores, etc.

Arthonia fomentaria Nyl. in litt. est verisimiliter sola forma *A. tenellulae* supra *Polyporum fomentarium* crescens, sporis vulgo minoribus (longit. 0,008—0,010 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim.).

Redacteur: Dr. Singer. Druck der F. Neubauer'schen Buchdruckerei (F. Huber) in Regensburg.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03641-0450-2

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1875

Band/Volume: 58

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographlam europaeam 440-448